Nos Ioannes Dei et Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus Curiensis S.
R.I. Princeps, Dn̄s in Gros Engstingen &c. ex unâ: necnon Nos Iacobus Abbas Mon̄rii Creuzlingae
prope Ciuitatem Constantiam partibus ex altera, cupientes, & volentes litium anfractus euitare, & ad concordiam deuenire, de &

super litibus, quæstionibus, controuersiis, causa, et occasione Parochiæ Sancti Petri prope Ranckuillam, Curiensis Diœcesis, subortis, ac eis finem imponere, dictasq[ue] lites, quæstiones et controuersias multorum iam Annorum curriculis motas in totum extinguere, et integraliter concordare, laboribusq[ue], et expensis quæ in futurum suboriri possent, prouidâ circumspectione parcere, omnibus melioribus modo, uiâ, causâ, et formâ, quibus melius, et efficacius potuimus et debuimus, non coacti neq[ue] aliquâ sinistrâ machinatione circumuenti, sed sponte, liberè, ac præuiis nostrorum respectiuè Capitulorum scientiâ, uoluntate, ac consensu, interuenientibus quoq[ue] super his nonnullorum earundem partium communium amicorum precibus, ac persuasionibus, pro amicitiæ conseruatione, paceq[ue] inter utramq[ue] partem stabilienda in unum conuenimus, ac Nos inuicem amicabiliter composuimus, concordauimusq[ue] in hunc qui sequitur modum.

Primò ut uidelicet Parochi, quà Seculares, quà Regulares eidem Parochiæ Sancti Petri præficiendi, per Prælatos præfici, ac ad nutum amoueri possint, ita tamen, ut pro approbatione, examine, Jurisdictioneq[ue], ad animarum curam, et hisce annexa, dependentiaq[ue] Prælati eosdem persoluta Cancellariæ consuetâ ratione scripturæ, taxâ in singulis præsentare teneantur, atq[ue] si quidem Regularis præsentetur, is sit professus Creuzlingensis. Secundò ut Parochus si uerò is Secularis sit, et delinquat, à solo Episcopo utì Loci Ordinario puniri possit, et debeat, ubi autem Regularis existat, Abbas Jus habeat castigandi saluis nihilominus omnibus, et singulis Juribus et præeminentiis, seu dispositionibus, quæ, uel quas tam in exemptos, quam in huiuscemodi ad nutum amouibilia beneficia ex Juris communis, sacrorumq[ue] Oecumenicorum Conciliorum præscripto, locorum Ordinariis quomodolibet competere dignoscitur. Tertiò ut solis Episcopis Jus competat eandem Parochiam uisitandi, ac in concernentibus curam animarum et Sacramentorum administrationem (cum omni præterea Jure eisdem in res, seu causas Ecclesiasticas, Parochianosq[ue], quà uoluntariam, quà contentiosam Jurisdictionem importantes, competente) ordinandi, iudicandi, disponendiq[ue], prout melius potuerint, ac debuerint. Quartò ut Parochi siue Seculares siue Regulares, ad processiones generales, Episcopalem Synodum, ad capitula Ruralia, aliosq[ue] congressus pro bono animarum forsan indicendos, comparere, nec non in concernentibus curam animarum et Sacramentorum administrationem, ac hisce annexorum Ordinariis, et eorum Officialibus obtemperare teneantur, ita tamen ut in dictis Capitulis, si regularis sit, per Decanum, quoad mores, non corrigi, sed solum priuatim præmoneri possit morum censurâ iuxta dispositionem secundo articulo relictâ. Quintò quia perpetua Parochorum Inuestitura pro bono pacis remittitur, ideoq[ue] primi fructus minus sint soluendi, inter partes expressè est conuentum, ut loco primorum fructuum, siue Regularis siue Secularis beneficium obtinuerit, quotannis ad festum Sancti Martini Epi, Episcopatui Curiensi, duos florenos cum dimidio ad manus officialis Vallis Drusianæ assignandos persoluere teneatur. Quod uerò spectat ad procurationes, uel cætera Diœcesana Jura, oneraq[ue] ordinaria, et extraordinaria, ea porrò Curatus etiam Regularis subire debeat, discretè tamen, ac non nisi prout et quando cæteri etiam parochi omnes communiter per totum Drusianum Capitulum sustinere tenebuntur. Ne uerò præfati articuli, capitulationes, concordiæ et compositiones cum labenti tempore elabantur, ac quæ diligenti circumspectionis oculo fuêre ordinata, per obliuionem deformentur id totum in hoc publicum Instrumentum redigi præcepimus, ac quod præmissa omnia et singula, grata, firmaq[ue] inuiolabiliter obseruare, ac in nullo eorum contrauenire uelimus, pro nobis, ac successoribus nostris promisimus, ac Nos solemniter obligauimus, promittimusq[ue] ac solemniter Nos obligamus, de nostrorum respectiuè Capitulorum expresso consensu et uoluntate, ut hinc in horum omnium perpetuum robur Nos Eps, ac Capitulum Curiense, nec non Nos Abbas, et Conuentus Creuzlingensis nostra respectiuè sigilla huic ipsi Instrumento appendi curauerimus. Actum Curiæ in Arce nostra Episcopali [illegible]

Bischöfliches Archiv Chur / Schweiz